

**Caput II: De fonte intelligentiae.**

## § 1. De ideis sive intellectu.

1. *Natura huius fontis:* Quotiescumque per sensus obiectum materiale nobis repraesentatur, etiam intellectus noster excitatur ad obiectum sibi proprium et proportionatum in sensatione apprehendendum, ut supra p. 13 exposuimus. Haec eius operatio vocatur simplex apprehensio et consistit in cognitione aliqua abstractiva, qua intellectus obiectum suum, i. e. naturam rerum, quae subest proprietatibus sensibilibus, sine hisce directe percipit. Terminus huius cognitionis abstractivae vocatur idea sive conceptus, qui consistit in complexu quodam notarum, quibus idem obiectum sensibus primo perceptum nunc modo intelligibili a nobis cognoscitur; e. g. homo, qui per sensus quoad externam apparentiam tanquam ens quantitate et qualitatibus affectum exhibetur, nunc tanquam animal rationale cuiusdam conditionis humanae (civilis — militaris, viri — mulieris, adulti — infantis etc.) ab intellectu percipitur. Medium igitur, quo haec idea hominis formatur, vocatur *abstractio directa* sive simplex apprehensio intellectualis abstractiva, qua ideae *primitiae* formantur; est igitur immediata quaedam perceptio obiecti intelligibilis in obiecto sensationis, quae quid sit et quomodo fiat, fusius infra in Idealogia explicabitur.

2. Formatis igitur ideis primitivis per abstractionem directam, intellectus noster potest in eas reflectere idque *reflexione ontologica*, qua comprehensio idearum investigatur. Haec autem reflexio ontologica dupli modo fieri potest: per *analysis* et *synthesim*. Per analysis complexus notarum dissolvitur in singulas notas plus vel minus simplices, et hoc modo novae ideae simpliciores et universaliores formantur *factitiae* ad modum Arboris Porphyrianae per abstractionem reflexivam. Per synthesim autem conceptus simpliciores coniunguntur vel ad ideam novam magis compositam ac proinde minus universalis efficiendam vel ad iudicia formanda, in quibus idea praedita per se magis universalis subiecto per identitatem obiectivam tribuitur (cfr. supra p. 16 sq. et 35 sq.)

3. Haec autem synthesis in iudiciis formandis potest esse *mediata* et *immediata*. Est mediata, si una idea cum altera mediante tertia coniungitur; hoc fit per ratiocinium; est immediata, si nexus inter duas ideas directe percipitur. Tres igitur sunt operationes intelligentiae nostrae: *Simplex apprehensio, iudicium, ratiocinium*; duae priores tribuuntur immediatae intelligentiae, quae vocatur *intellectus*, in quantum abstractionem directam et reflexam exercet et iudicia immediata format. Tertia tribuitur mediatae in-

telligentiae, quae vocatur *ratio*, non quasi sit facultas ab intellectu realiter, sed solum virtualiter distincta.

4. Ideae igitur et iudicia et ratiocinia, si active i. e. subiective spectantur, sunt media quo sive subiectiva cognitionis *proxima*, intellectus autem et ratio vocantur media subiectiva *remota*, si quidem sunt eorum principia. Si autem ideae, iudicia, ratiocinia obiective considerantur i. e. comprehensio et nexus inter notas idearum easque ipsas, porro nexus inter iudicia sive mediatus sive immediatus, constituent fontem *obiectivum cognitionis*. Hoc modo sunt illud ipsum, quod a nobis directe cognoscitur et quo cognito novae acquiruntur cognitiones. Ideae igitur, iudicia, ratiocinia *obiective considerata proprie fontem sive fontes cognitionis constituant*; *hoc modo hic a nobis considerantur*.

5. *Utilitas:* Atque hi fontes veritatis sunt maximi momenti multaeque inde et praestantissimae cognitiones derivantur. Ipsi enim constituunt omnes scientias aliosque fontes veritatis quodammodo diuidant simulque criterium certitudinis universale in se continent. Est igitur ostendendum tum ideas, tum iudicia sive immediata sive mediata constituere fontem veritatis, quod patet: a) si *novam*, b) si *certam* gignunt cognitionem. Ac primum quidem de fonte idearum est disserendum. Constat vero apud omnes, nos nonnisi per ideas nostras cognoscere et certo cognoscere posse; non autem ab omnibus conceditur, ideas nostras aliquid obiectivi exhibere distinctum a nostris affectionibus. Unde hoc nobis potissimum demonstrandum est; quo probato facile patebit, ideas novam cognitionem, i. e. aliquid a nobis distinctum suppeditare idque modo certo.<sup>1)</sup>)

*Thesis XVII: Ideae per se habent valorem obiectivum.*

*St. qu.:* 1<sup>o</sup> Quum veritas consistat in conformitate intellectus cum re cognita, ideae tunc verae sunt, si rebus quas repraesentant sunt conformes; sunt obiectivae, si quid a nobis distinctum referunt. Quæritur igitur, num id quod ideae exprimunt, habeat realitatem aliquam a nobis distinctam. Duplex autem distinguitur realitas: *physica* et *metaphysica*; prior res existentes praesertim sensibiles comprehendit, altera res possibles necnon pure spirituales.

2<sup>o</sup> Neque vero affirmamus, omnes ideas habere valorem obiectivum in ordine physico, i. e. existentiae, neque semper saltem in ordine metaphysico, si quidem nonnunquam habemus ideas falsas,

<sup>1)</sup>) Hoc ipsum iam constat per thes. II supra p. 103 sq. Sed ibi quaestio erat in genere de obiectivitate omnis cognitionis nostrae; hic autem directe obiectivitas *idearum* ostenditur, si quidem sunt fundamentum cognitionis nostrae intellectualis. Addendum est, hanc thesim explicari, confirmari et quasi absolviri infra per Idealogiam.

vel quarum obiectum non existere potest nisi in sola mente, ut negationes, privationes. Neque affirmamus, id quod conceptus exprimunt, etiam *eodem modo* in ordine obiectivo inveniri, quo existit in mente percipiente; sed affirmamus, ideis quoad earum *comprehensionem* per se inesse valorem obiectivum.

3º Dicimus *per se* ideis inesse valorem obiectivum, si formantur ordine debito, quem natura intellectus ex se intendit; *per accidens* autem potest subesse falsitas, si *per defectum* percipientis vel propter conditiones, in quibus versatur obiectum extraordinaria intellectus non modo debito adhibetur, vel obiectum non modo ordinario intellectum determinat; sed etiam in hoc casu error tandem tribuendus est non intellectui, sed voluntati non satis reflectenti. (Duplex enim genus idearum distinguendum est: ideae *primitivae* et ideae *factitiae*. Primitivae oriuntur ex simplici apprehensione obiecto praesente et immediate determinante, unde non possunt esse falsae<sup>1)</sup>; factitiae vero ab ipsa mente ope reflexionis ontologicae formantur ex primitivis vel per iudicium vel per ratiocinium, unde verac vel falsae erunt, prout iudicium vel ratiocinium, ex quibus portae sunt, verum erat vel falsum. Etiam has ideas factitias dicendum est *per se*, i. e. ex natura intellectus esse veras; per accidens, i. e. ex defectu mentis indicantis posse esse falsas; thesis igitur utramque speciem idearum respicit.)

4º Triplex nobis error in hac questione refutandus est: a) Brahmanorum, Eleatum, Neoplatonicorum et Berkeley, qui putabant ideis, quae spectant ad *ordinem physicum* (*existentiae*), nil obiectivi respondere; b) Humei, Kantii et omnium Sensistarum, Empiristarum, Positivistarum (Baco, Locke, Condillac, Comte et modernorum), qui negant ideis quidquam subesse in *ordine metaphysico*; c) veterum Sophistarum (Protagoras, Gorgias Leontinus), et discipulorum scholae Kantianae, sc. Fichte, Schelling, Hegel, Schopenhauer, Schuppe etc.), qui neque in ordine physico neque metaphysico ideis quidquam obiectivi subesse concedunt, sed omnia obiecta saltem directa et immediata idearum esse in nobis tanquam affectiones mere subiectivas<sup>2)</sup>; (non habere valorem, nisi in *ordine subiectivo* sive pure logico vel ordinem logicum eundem esse atque ontologicum.)

*Prob. 1. Ex natura intellectus:* a) Aptitudo mentis ad cognoscendum, i. e. eius veritas est veritas fundamentalis; neque enim probari potest neque probatione indiget.<sup>3)</sup> Atqui si ideae non habent

<sup>1)</sup> Vide thesim III, p. 111.

<sup>2)</sup> Die Welt ist meine Vorstellung" (Schopenhauer). „Πάντων χρημάτων μέτρον ἀνθρώπος“, sic Protagoras sophista apud Platonem in Theaeteto; Cfr. Diog. Laert. Hist. phil. 9, 50 sq.; cfr. thes. II supra p. 103 sq.

<sup>3)</sup> Vide thesim XII supra p. 138 sq.

saltem *per se* valorem obiectivum, mens nostra non esset apta ad cognoscendum; nam mentem aptam esse ad cognoscendum nil significat, nisi eius cognitionem rebus esse conformem, quando conditioess requisitae adsunt. (Neque valor idearum aliud quidquam est nisi earum conformitas cum rebus perceptis; unde aptitudo mentis ad cognoscendum et valor idearum obiectivus idem significant et eadem certitudine constant.) Ergo ideae habent per se valorem obiectivum. — (Vel sic: Ideae sunt medium idque unicum cognitionis. Atqui nisi haberent obiectivum valorem eumque certum, non essent medium aptum cognitionis; nam cognitionis est in conformitate mentis cum re cognita et obiectum directum cognitionis nostrae, ut supra th. II ostendimus, non sunt ipsae species nostrae expressae, sed res per ipsas expressae. Ergo ideae habent obiectivum valorem.

b) Nisi ideae haberent valorem ex se obiectivum, falsae essent dicendae; nam quod repraesentant, tanquam aliquid a nobis distinctum exhibent idque eadem naturali necessitate et certitudine, qua corpora extra nos existere putamus. Quod ipse Kant fatetur dicens, mentem nostram illusione transcendentali et insuperabili esse captam.

Profecto, cui non est persuasum, conceptibus hominis, animalis, plantae, lapidis, montis, distantiae, magnitudinis, formis rerum sensibilium aliquid reale a nobis distinctum subesse? Quis sana mente praeditus putaverit, veritates mathematicas e. g.  $2 + 2 = 4$ , theoremata de triangulo, circulo non valere nisi de affectionibus suis subiectivis sive in cerebro sive in nervis sive in anima ipsa productis? Quis unquam somniatus est, rationem causae et effectus, substantiae et accidentis, immo rationem entis sive existentis sive possibilis non esse nisi in ideis suis ac proinde ab ipso produci, quin supponatur in ordine physico vel saltem metaphysico? Neve dicas, mediante principio causalitatis concludi aliquam realitatem. Nam 1º ex elementis mere subiectivis nulla oritur obiectivitas; 2º notio causae et effectus et relatio inter utramque aut est obiectiva et realis, aut non. Si primum, non est ratio, cur aliis notionibus eodem modo formatis obiectivitas et realitas non tribuatur; sin alterum, neque mediante principio causalitatis obiectiva acquiritur cognitionis.

Accedit, quod ideas obiectivas a mere subiectivis et sociabilis ab insociabilibus (circulus et quadratum) facile distinguimus, sicut phantasmata a sensatione externa, quod impossibile esset, si ideae omnes essent figmenta subiectiva rationis. Atqui absurdum est et repugnat naturae nostrae rationali et veracitati auctoris naturae et persuasioni hominum, omnes ideas falsas esse. Ergo per se habent valorem obiectivum.)

2. *Ex origine idearum:* Ideae omnes sunt aut primitivae aut factitiae. Atqui primitivae oriuntur per abstractionem directam ex immediata perceptione sensuum et conscientiae, i. e. ex experientia externa et interna, quae fit obiecto ipso praesente et determinante; unde certe obiectum aliquod reale ab intellectu eiusque ideis distinctum

*immediate attingunt et repraesentant*<sup>1)</sup>; conformes igitur sunt *ordinum physico*. Ideae autem *factitiae* formantur per abstractionem reflexivam ex primitivis; unde *per se*, i. e. si modo debito fiunt, etiam ipsae obiectivae et certae esse debent. Ideae autem *factitiae* pertinent potissimum ad *ordinem metaphysicum*. Ergo omnes ideae *per se* obiectivae et certae sunt.

3. *Ex natura iudicij*: In iudicio affirmatur identitas inter subiectum et praedicatum. Atqui si ideae subiecti et praedicati non exprimerent nisi subiectivam aliquam nostram affectionem, vel haec nostrae affectiones de rebus praedicarentur, quod est absurdum et idealismum logicum Hegelii induceret vel Phaenomenalismum, quem aliqui recentiores<sup>2)</sup> docent; vel res ipsae cum affectionibus nostris identificarentur, quod Fichte, Schopenhauer aliique docuerunt. Hoc autem repugnat et conscientiae nostrae et persuasioni hominum. Ergo ideae nostrae debent valorem obiectivum habere.

4. *Ex natura demonstrationis*: Nulla demonstratio institui potest, nisi quaedam ideae, saltem duae, supponantur verae et certae, i. e. obiecto conformes. Atqui si ideae non habent valorem obiectivum, non sunt obiectis conformes vel hoc saltem certum esse non posset. Ergo nulla posset institui demonstratio, quod etiam adversariis fatentibus absurdum est.

#### 5. *Ex absurdis*:

a) Si ideae nullis rebus sunt conformes, nil negari posset; nam negatio in eo est, ut diffinitas inter rem et ideam aliquam affirmetur. Atqui haec diffinitas apprehensa iam supponit, posse vel debere adesse conformitatem inter rem et conceptum, in qua valor obiectivus idearum consistit, et ipsa illa apprehensio diffinitatis non fit nisi aliquâ ideâ, quae igitur debet respondere obiecto negationis. Ergo ideae debent habere obiectivum valorem, et qui eum negat, eo ipso iam affirmat.

b) Neque posset esse ullum dubium de veritate, nisi ideae sint *per se* obiectivae; nam qui dubitat, eo ipso affirmat, ideas posse esse conformes vel diffiformes obiectis conceptis; etiam ipsum dubium ideis quibusdam concipiatur et exprimitur. Ergo sunt ideae, quae habeant valorem obiectivum. Immo ut thesi XII. ostendimus, qui dubitat, eo ipso iam tres veritates fundamentales implicite quidem, sed certo apprehendit et affirmat.

c) Neque error esse posset; nam error in eo est, ut conceptus rei non sit conformis. Atqui nisi intellectus noster ideis suis quidquam perciperet obiectivi, conceptus nostri semper conformes essent rei perceptae i. e. affectioni nostrae, quae ipsum actum cognoscendi intrinsece constituit. Esset igitur homo cognoscendo revera, ut ait Protagoras sophista, „mensura omnium rerum, earum quae existunt, in quantum existunt, et earum quae non existunt, in quantum non existunt,“ quo quidem nihil absurdius dici potest.

<sup>1)</sup> Vide theses XIII—XVI. <sup>2)</sup> Schuppe, Rehmke, v. Schubert-Soldern, Kaufmann, Leclair; cfr. Überweg-Heinze, IV<sup>9</sup>, p. 240 sq. Cfr. supra p. 106

d) Si ideae nil nisi quid subiectivi repraesentarent, omnis assensus oriatur ex necessitate mere subiectiva, ex caeco quodam instinctu; deinde nulla esset ratio, cur omnes homines in quibusdam semper et necessario consentirent, e. g. in rebus mathematicis, quia omne subiectivum individuale est et facile mutabile; denique nihil esset *in se* certum et necessarium, neque ex se repugnaret,  $2 + 2$  fieri 5. Atqui conscientia testatur, nos non iudicare ex caeco instinctu et sola subiectiva necessitate, sed propter rei quam *in se* habet evidentiam et necessitatem obiectivam clare perspectam; deinde consentiunt homines propter rationes obiectivas ab ipsis independentes tanquam mensuram et regulam communem cognitionis; denique omnes absurdum esse iudicant, veritates a nobis dependere et quodammodo procreari; sed potius nos dependere ab obiectivis rerum rationibus, neque posse ullo modo, etiamsi vellemus, ordinem metaphysicum immutare, ita ut  $2 + 2$  non essent 4. Ergo ideae *per se* habent valorem obiectivum.

6. *Argumentum ad hominem*: Adversarii saltem concedunt certitudinem ordinis subiectivi sc. testimonii conscientiae et legum cogitandi, statuuntque subiectivam assentiendi necessitatem. Atqui si ideae obiectivo valore essent destitutae, ne haec quidem subiectiva admittenda esset certitudo; nam a) subiectiva illa necessitas et testimonium conscientiae facta interna referentis nonnisi ideis a mente exprimi potest, quae ideae distinctae sunt ab illis factis internis, quae repraesentant; unde aliquid obiectivum et quidem existens exhibit; b) leges cogitandi, etiamsi tantum essent formae mentis subiectivae, ideis tamen a mente percipiuntur, et sunt distinctae ab his ideis et ab actu, quo percipiuntur, quia sunt universales et constantes apud omnes et immutabiles; actus vero et ideae sunt mutabiles et transeuntes et unicuique individuales secundum claritatem et intensitatem cognitionis. Ergo ipsi adversarii valorem aliquem obiectivum idearum eumque in ordine metaphysico admittere coguntur.

*Coroll.* Error adversariorum ortus est ex triplici fonte: 1<sup>o</sup> putant, pri- num obiectum cognitionis nostrae esse affectiones subiectivas, non obiectum reale ab ideis nostris distinctum (cfr. th. I). 2<sup>o</sup> Non satis intelligent naturam actus cognoscendi, qui quamvis physice sit immanens, modo tamen intentionali obiectum externum apprehendit, unde cum actione mechanica, transeunte non est comparandus. 3<sup>o</sup> Plerique putant nil reale esse praeter res existentes, i. e. ordinem metaphysicum non admittunt, ac proinde ideas, quae non exhibent obiectum physice existens, mere figuratum et lusum mentis habent. Quodsi hic error, qui ex systemate Kantiano necessario fluit, ad primum accedit, manifestum est, obiecta idearum, quae per se omnes sunt universales et abstractae, esse aliquid a mente nostra confictum, mere subiectivum.

*Obi.*: 1. Ideae non habent valorem obiectivum, quia sunt multae ideae falsae; dist.: ideae primitivae — nego; ideae factitiae, subd.: falsae *per se* — nego; *per accidens* — conc.

2. Atqui sunt ideae *per se* falsae, si quidem sunt, quarum obiectum nullo modo existere potest, e. g. idea: nihil, privatio etc.

*Resp.* 1<sup>o</sup> Nego suppositum; non enim affirmamus omnibus ideis aliquid obiectivi respondere.

2<sup>o</sup> Dist.: Nil in ordine physico vel metaphysico illis ideis respondet — transeat; nil in ordine logico, subiectivo — nego.

3. Atqui *omnes* ideae *per se* sunt falsae, quia quod repraesentant, alio modo existit in re, alio modo in mente; dist.: et haec falsitas est positiva, ita ut affirmetur — nego; est; negativa, quae tamen nullo modo rebus tribuatur — conc.

4. Atqui ideae sunt positive falsae; secus enim non posset esse tanta et de omnibus fere veritatibus philosophorum dissensio; dist.: de nulla idea obiectiva constat — nego; de multis non constat, subd.: *per se* — nego; *per accidens*, i. e. *per defectum reflexionis debitae* — conc.

5. Atqui de nulla idea et veritate obiectiva constat; nam recte veteres sceptici dicebant, pro omni veritate rationes pro et contra afferri posse et re vera allatas esse, dist.: rationes *veras* — nego; rationes *sophisticas*, subd.: ita tamen ut, quin advertant, tres veritates fundamentales certas et obiectivas apprehendant et affirment — conc., quin habeant ideam obiectivam — nego.

6. Atqui impossibile est, ideas obiecta ab ipsis distincta repraesentare, nam deberent idem esse ac res ipsae, quod repugnat; dist.: idem in ordine ontologico — nego; in ordine logico — subd.: ideae debent exhibere *id quod* obiective existit — conc. eodem modo, quo existit — nego.

7. Atqui etiam in ordine ontologico et quad modum existendi debent esse idem; nam idea in iudicio praedicatur per identitatem; dist.: per identitatem physicam — nego; metaphysicam vel logicam — conc.

8. Atqui debet esse identitas physica; nam cognitum, i. e. res physica cognita debet esse in cognoscente<sup>1)</sup>; nil autem a mente distinctum in ipsis esse potest; dist.: modo physico debet obiectum esse in mente — nego; modo intentionaliter — conc.; ad rationem additam: nil in mente inesse potest ab ipsa physice distinctum — conc.; intentionaliter distinctum — nego. Vel etiam sic distingue: Obiectum *materiale* debet esse in mente — nego; obiectum *formale*, subd.: obi. form. *quod* — nego; obi. form. *quo* (*specie expressa*) — conc. — Confer supra p. 102.

9. Atqui obiectum *materiale* physice in mente esse debet; alias non potest constare, num idea conformis sit obiecto (Carneades, Hume); dist.: idea ipsa esset obiectum *quod* immediatum cognitionis — trans. vel conc. quum sit obiectum *quo* cognitionis — nego.

10. Atqui debet esse obiectum *quod*; nam mens non potest cognoscere nisi *quod* est in ipsa (Kant), dist.: in cognitione reflexa — conc.; in cognitione directa, subd.: mens non potest cognoscere nisi *quod* est in ipsa vel physice vel saltem intentionaliter — conc.; solum illud *quod* est in ipsa physice — nego.

11. Atqui non potest cognoscere nisi *quod* est physice in ipsa; nam actus cognoscendi est actus immanens, qui non potest physice terminari nisi in ipsa mente; dist.: ut actus — conc.; ut repraesentatio obiecti — nego. Atqui obiectum est terminus actus cognoscendi; dist.: ut est actus, i. e. terminus physicus — nego; ut est repraesentatio, i. e. terminus intentionalis — conc.

<sup>1)</sup> Cfr. obiectiones ad thes. XIII; obiect. sub 7—9 incl. sunt communes omnibus idealistis et pantheistis, ita ut πρῶτον φεύδος eorum vocari possint.

12. Atqui obiectum debet esse in mente etiam ut terminus physicus cognitionis; nam in iudicio duae ideae, non duae res ab invicem praedicantur; dist.: duae ideae *vices rerum* gerentes (signa suppositiva rerum) — conc.; ideae vacuae (signa pure manifestiva) — nego.

Atqui ideae nil sunt nisi in mente; dist.: ut signa — conc.; nil significant extra mentem — nego; neque ideae nisi idea similis esse potest (Berkeley); dist.: ut actus — conc.; ut repraesentatio — nego.

13. Atqui non potest probari ideas esse signa rerum suppositiva; dist.: de omnibus — conc.; esset enim petitio principii neque indiget hoc probatione; de nullis — nego.

14. Atqui de nullis constat; nam hoc aut probaretur idque per alias ideas, et tunc esset vel petitio principii vel progressus in infinitum; aut non probaretur, et tunc esset caecus instinctus neque certa esset cognitio.

*Resp.* 1<sup>o</sup> Nego disiunctionem et addo tertium membrum: aut esset ex se evidens.

2<sup>o</sup> Dist.: primam partem: si hoc probaretur aliis ideis ex se non evidenteribus — conc.; ideis ex se evidenteribus — nego; dist. secundam partem: si illae ideae aliis non probarentur et *indigerent* probatione — conc.; si sunt ex se evidentes — nego.

15. Atqui nullum est medium distinguendi inter ideas *veras* et *falsas*, evidentes et non evidentes praeter ideas; ergo iterum adest petitio principii; dist.: si ipsa evidentia idearum, saltem primitivarum, non esset ratio et *simil criterium* ultimum veritatis obiectivae — conc.; cum evidentia ipsa idearum (non aliae iterum ideae) sit ratio simulque ultimum veritatis obiectivae criterium — nego. Cfr. infra de evidentia lib. III. c. II; § 2).

*Thesis XVIII: In iudiciis immediatis analyticis intellectus falli nequit et novas acquirit cognitiones obiectivas.*

*St. qu.* 1<sup>o</sup> Iudicium est ille actus mentis, quo identitatem vel diversitatem idearum duarum clare perspectam affirmamus. Unde essentia iudicij (obiectum *formale*) est identitas illa vel diversitas obiectiva idearum. Iudicia autem secundum *fontem*, ex quo *identitas illa subiecti* et *praedicti* cognoscitur, distinguuntur *analytica* et *synthetica*:

a) *Analytica* sunt illa, in quibus identitas subiecti et praedicati invenitur ex analysi seu comparatione utriusque conceptus; e. g. totum est maius suis partibus singillatim sumptis vel aequat partes simul sumptas.

b) *Synthetica* sunt, in quibus identitas subiecti et praedicati aliunde (experientia externa, interna, auctoritate) cognoscitur; e. g. arbor est viridis; Roma existit.

2<sup>o</sup> Secundum *medium*, quo formantur, distinguuntur *immediata* et *mediata*.

a) *Immediata* sunt, quae sine termino medio formantur, et possunt esse tum *analytica*, tum *synthetica*: Effectus requirit causam; rosa est odorifera.

b) *Mediata sunt, quae termino medio formantur, i. e. ratiocinio;* unde si eius praemissae sunt iudicia analyticia, conclusio erit iudicium *mediatum analyticum*; si utraque praemissa est synthetica, erit conclusio iudicium *mediatum syntheticum*; si altera praemissa est analyticia, altera synthetica, conclusio erit iudicium *mediatum mixtum*. — (Tres igitur species iudiciorum, si in se considerantur, distinguendae sunt: iudicia analyticia, iudicia synthetica, iudicia mixta. Duae priores species possunt esse iudicia immediata et mediata; mixta autem semper sunt mediata, et possunt vocari iudicia synthetica a priori, non tamen in sensu Kantiano mere subiectivo.<sup>1)</sup>

3<sup>o</sup> In thesi non est sermo nisi de iudiciis *immediatis* iisque *analyticis*, (quoniam de iudiciis immediatis syntheticis in thesibus de conscientia et sensatione tractavimus; de iudiciis vero mediatis in thesi sequenti disputabimus. Haec autem iudicia immediata intellectui tribuuntur tanquam facultati simpliciter intelligendi (intus-legere).

4<sup>o</sup> Adversant nobis Sceptici veteres et recentes (Hume), Sennistae, Evolutionistae, qui veritates universales ex se necessarias et obiectivas negant; porro Subiectivistae vel Idealistae, qui illa iudicia nonnisi formas inanes mentis valore obiectivo destitutas habent eis que solum necessitatem subiectivam tribuunt, ut Kant cum suis fautoribus, neque quidquam novi per ea cognosci arbitrantur.)

*Prob. I. pars: In iudiciis immediatis analyticis intellectus falli nequit.*

Prob. 1. *Ex natura intellectus:* Intellectus non potest falli in iudicio, quando identitas subiecti et praedicati ipsi clare et evidenter appetit. *Atqui* in iudiciis immediatis analyticis identitas subiecti et praedicati clare et evidenter appetit. *Ergo* in his iudiciis ferendis intellectus falli nequit.

*Probo maiorem:* Si intellectus, obiecto evidenter proposito, falli posset, dicendum esset, vel eum non esse capacem intelligendi, ac proinde prima conditio: capacitas facultatis, destrueretur; vel obiectum debere alio modo intellectum determinare, atque ipsum est, quod primum principium, i. e. contradictionis destrueret.

*Probo minorem:* Iudicia immediata analyticia illa sunt, in quibus identitas subiecti et praedicati appetit ex utriusque analysi et comparatione. *Atqui* intellectus formans conceptum eumque deinde dividens in suas notas iterumque eas iudicio componens non potest non videre notas inter se esse identicas vel metaphysice coniunctas e. g. totum et partes, (quemadmodum artifex horologium vel machi-

<sup>1)</sup> Cfr. Al. Schmid, *Erkenntnisslehre*, II, 125 sq. Cfr. infra Idealogiam lib. I, c. II, § 3: *Systema Kantii.*

nam ex partibus suis efficiens certe tum totum, tum eius partes cognoscit.) Secus enim iterum vel ipse esset incapax intelligendi, vel notarum identitas deberet simul adesse et non adesse, apparere et non apparere, quod repugnat.

(2. *Per exclusionem:* Error, si in iudiciis immediatis analyticis possibilis esset, oriretur vel ex intellectu, vel ex obiecto, vel ex medio cognitionis. *Atqui* ex nullo fonte oriri potest: a) *non ex intellectu;* nam intellectus tanquam facultas cognoscendi ex se falli nequit; esset enim tunc facultas cognoscendi simul et non cognoscendi; accedit, quod est facultas necessaria, quae operatur eo modo, quo determinatur; b) *neque ex obiecto;* nam obiectum in iudiciis immediatis certe adest, si quidem praedicatum necessario iam in subiecto continetur, neque potest intellectui apparere alio modo, quo revera est; c) *neque ex medio,* quia nullum medium cognitionis adest; est enim cognitio immediata. *Ergo* in iudiciis immediatis analyticis error esse non potest.

3. *Ex absurditate scepticismi:* Quicunque dubitaret, intellectum posse falli in iudiciis immediatis analyticis, nil posset iam probare; nam in omni probatione saltem prima iudicia analytica supponuntur: principium contradictionis, rationis sufficientis, saepe etiam principium causalitatis. *Ergo* scepticismus universalis induceretur.

Neque thesis nostra proprie indiget probatione; quia in omni iudicio, immo in omni dubio iam supponitur; nam implicite semper tria latent iudicia immediata in omni actu mentis simulque affirmantur. Unde intellectus in iudiciis immediatis analyticis non fallitur.

II. pars: *Novas acquirimus cognitiones obiectivas etiam per iudicia analytica immediata.*

1. *Iudicia immediata analytica habent valorem obiectivum:*

a) *Ex origine iudiciorum:* Iudicia immediata analytica formantur ex ideis; notio enim praedicati iam invenitur in subiecto vel tanquam pars eius essentialis, vel saltem ut proprium. *Atqui* ideae habent obiectivum valorem. *Ergo* etiam iudicia immediata analytica habent obiectivum valorem.

b) *Ex absurdis:* Nisi illa iudicia immediata haberent valorem obiectivum, etiam iudicia mediata inde derivata valore obiectivo destituerentur, e. g. tota mathematica et metaphysica; immo nulla valeret conclusio, quia semper supponit principia quaedam formalia; ac proinde omnis periret scientia. *Atqui* hoc absurdum est. *Ergo* . . .

Neve obicias, in iudicio nonnisi unum conceptum de alio praedicari, conceptus vero esse in sola mente; nam conceptus supponunt pro rebus per illos expressis; unde si dico: homo est substantia, non praedicatur, conceptum meum esse substantiam, sed rem conceptu expressam.